



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitulvm Vn. eod. Tit. in 6. Episcopali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

pore. Ita sumitur ex hoc c. & notaui Innocent hic n. 2. Ioann. Andr. n. 6. Sed Prælatorum Bituricensis prouinciæ assensus necessarius non erat, quia ipsorum non intererat; seu de ipsorum præiudicio non agebatur.

- 3 NOTANDVM III. Spectato communi iure, ad tractatus Vniuersitatis (excepta electione Prælati) necesse non est absentes vocari, tametsi causa ardua sit. Ita docet Gl. in c. 2. ver. ipsorum, de testibus, in 6. Abb. hic not. 2. & plerique alij apud Felinum in c. cum omnes, n. 22. de Constit. argum. c. hoc ius, causa 10. q. 2. Sed quia Innocent. in c. 2. circa medium, de noui operis nuntiat. & alij quidam contrarium sentiunt, id eo securius est, ut in rebus valde arduis etiam absentes, quatenus fieri potest, vocentur: quod etiam quibusdam Ecclesijs per consuetudinem receptum est.
- 4 NOTANDVM IV. Capitula non aliter citari solent, nisi ut Procuratorem mittant. Quia si totum Capitulum personaliter ve-

niret, Ecclesia seruitio suo destitueretur. Ita Abb. hic, ver. Item nota.

CAPITVLVM Vn.  
eod. Tit. in 6.

Episcopali.

Vacante Sede Episcopali, Capitulum, seu alius, ad quem tunc Episcopalis iurisdictio spectat (videl. administrator à Papa constitutus, iuxta c. is cui, 42. de elect. in 6. c. ult. de suppl. negl. Prælat. eod. lib. Vel is, quem Capitulum ut administratorem constituerit, secundum Gl. hic ver. ad quem) potest excommunicatos à iure, vel ab homine absolueret, sicuti Episcopus posset, si viueret: nisi Sedes Apostolica specialiter interdixerit.

NOTANDVM Vn. Capitulum, vacante Sede, exercet iurisdictionem Episcopalem, exceptis ijs causis, quos vel ipsam commune ius excipit, vel Pontifex speciatim interdicit. Quia de re sufficienter dictum est in c. cum olim, 14. extra, hoc tit.

TITVLVS XXXIV.  
DE TREVGA ET PACE.

**P**osteaquam de Ecclesiasticis potestatibus atque Iudicibus dictum fuit, conueniens esset, ut de ipsis iudicijs ageretur: Sed quia præstat, ut, si fieri possit, dissidentes ac litigantes, seu Superiorum auctoritate, seu proprijs pactionibus ac transactionibus ad concordiam redigantur, ideo de pace, treuga, seu belli inducijs, pactionibus, & transactionibus subiungitur, ante tractatum de iudicijs. Quod & Iureconsultos egisse videbis in lib. 2. tit. 14. ff. forum.

SVMMARIVM.

1. Si publica dissidia seu bella inter ciuitates seu populos subiectos oriuntur, ad Principem seu Superiorem spectat, ut partibus compositionem seu pacem impertat.
2. Si priuati inter se lites foueant, & iudicio contendere velint; ordinariè cogi non possunt ad transactionem.
3. Qui probabiliter timet ab aduersario suo offensam, vel violentiam, potest à iudice petere, ut ille præstet cautionem de non offendendo.

Dispu.